



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

65. An mutus, si alij non invenirentur, possit on articulo mortis baptizare
infantem illum abluendo, si alter manibus carens proferat verba forma? Ex
p. 5. tr. 6. res. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

RESOL. LXV.

An mutus, si alij non invenirentur, possit in articulo mortis baptizare infantem illum ablucendo, si aliter manibus carens proferat verba forma? Ex part. 5. tr. 6. Ref. 2.

Sup. hoc in Ref. præterita & in Ref. seq. & infra in Ref. 70. §. ult. & in tr. 1. Ref. 3. §. Secundo postet.

§. 1. **N**egativam sententiam docent communiter Doctores, & novissimè Meratius tom. 3. de sacram. Baptismi, disput. 5. sect. 4. ubi sic ait: De tertio baptizandi modo Marfilus in 4. quæst. 4. art. 6. dub. 11. validum censet fore Baptismum eo modo collatum in casu extremæ necessitatis: ut si puero mox morituro nullus adesset præter duos, quorum unus mutus esset, alter membris omnibus captus, hoc enim formæ verba proferente, illo altero ablucendo, validum fore Baptismi sacramentum affirmat. Sed repugnat hac in parte cæteris communiter Theologis, tam antiquioribus, quàm recentioribus, nominatimque sancto Thomæ quæstionis hujus 67. art. 6. ad 3. & præcedentis quæstionis art. 5. ad quartum. Ita Meratius, cui adde Ochagaviam de sacram. Baptismi tract. un. q. 13. n. 10. Probatur hæc opinio. Primo, quia Sacramentum quod in extrema necessitate validum est, etiam extra illam est validum, & è contra; sed Baptismus in isto casu collatus, etiam juxta auctores oppositæ sententiæ, nullum valorem sortitur extra casum necessitatis: ergo neque etiam in illo collatus valorem sortiri poterit. Rorboratur secundo hæc opinio, quia in primis non valet Baptismus ille collatus catechumeno in extremis constituto sub hac forma. Ego te baptizo, quia si denotent actionem ablucendi exterius corpus illa verba, & significant interiorem animi ablucionem, forma est falsa, quia ille, qui profert verba, & qui pronunciat se ablucere non abluat corpus, ut supponitur: ergo cum hac forma nullum omnino redditur Sacramentum.

2. Si verò præfata forma denotet collationem sacramenti Baptismi, eodem modo falsa est forma, quia ad hoc sine dubio requiritur eundem Ministrum & proferre verba, & ablucere exterius, quia utrumque denotatur per verba formæ secundum illam significationem desumpta. Quia autem in prædicto casu unus & idem Minister utrumque non exhibet, hinc est nullum inde resultare Sacramentum. Deinde non valebit prædictus Baptismus, si uterque ille Minister baptizet sub hac forma; Nos te baptizamus, quia ad hoc ut esset vera hæc forma, uterque deberet ablucere, sumpto verbo baptizamus in prima significatione, vel uterque deberet ablucere, & proferre verba formæ, sumpta forma verborum in secunda significatione. Sed neque tunc uterque ablueret, quia uterque manus non haberet. Neque uterque verba proferret, quia uterque lingua usum non haberet; sequitur ergo neque etiam hoc modo Baptismus validum esse: ergo, &c.

3. Sed affirmativam sententiam præter Marfilium citatum tenet Fernandez de Heredia, & Joannes Chapeavilla, quos adduxi supra in tractatu de casibus occurrentibus tempore mortis, ubi hanc quæstionem etiam agitavi, & in 3. part. tract. 4. Refol. 11. Sed ego negativæ sententiæ adhareo. Verum ad magis practica bilia, ut nostri moris est, deveniamus.

Supra in Ref. 2. not. præterita. Quæ hic est Refol. antecedens.

RESOL. LXVI.

An tempore mortis, si quis accessum ad puerum non haberet, possit de longinquo proferre formam, sub conditione, & jubere, ut alius illum aqua abluat?

Et si postea occurrat opportunitas, an etiam sub conditione Baptismus sit iterandus?

Et inter alia explanatur Baptismus à tribus ministratum omnium judicio esse invalidum, videlicet uno ablucendo, altero hac verba proferente, Ego te baptizo, tertio ista subjungente, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Et cursum inferitur ordinem datum ab Episcopo, & Presbytero simul; Episcopo videlicet imponente manus, Presbytero autem benedicente, seu proferente formam, irritum esse. Ex p. 5. tr. 3. Ref. 26.

§. 1. **H**unc Baptismus esse invalidum, probatur ex D. Thom. in 3. part. q. 67. art. 6. ad 3. & ex tribus absurdis, quorum unum est, validum quoque fore Baptismus, illo modo collatum extra casum etiam necessitatis, cum ex supradictis constet eam materiam & formam, quæ aliquo in casu ad Baptismi validitatem sufficit, ad ipsam quoque quovis alio in casu sufficere. Alterum est dici pari ratione debere validum fore Baptismus sine verbis ullis ore prolatis, aut in alio, quàm naturalis aquæ liquore collatum in eo extrema necessitatis casu, quo vel elementaris aqua deesset, sed adesset alius liquor, quo puer mox moriturus tingi posset, aut quo nullus adesset, qui puerum ablucens loqui posset. Si enim, quia Baptismus puero ad salutem necessarius est eo casu, quo non aliter ipsi conferri potest, quàm uno ablucendo, altero formæ verba proferente validus est, ob eandem causam validus esse debet eo casu, quo non nisi in alio, quàm naturalis aquæ liquore, vel per eum, qui solis nutibus, & hujusmodi signis loqui potest, conferri poterit. Tertium est, eadem ratione validum Baptismus futurum, qui à tribus ministraretur, uno ablucendo, altero verba hæc proferente, Ego te baptizo, tertio ista subjungente, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, qua validus foret, qui ministraretur à duobus, uno ablucendo, altero formam proferente, quoniam disparitatis nulla legitima ratio adferri potest. Sicut autem Baptismus sic à tribus ministratus omnium judicio esset invalidus, quia idem, qui verbis iis, Ego te baptizo, profiteretur se aliquem baptizare, profiteri etiam debet se eum, non in suo, sed in sanctæ Trinitatis nomine baptizare; ita sic ministratus à duobus censeri pari certitudine debet invalidus, quia idem, qui abluat, significare verbis debet se ablucere, & qui hoc verbis significat, se ipsa debet ablucere. Et tandem hæc sententia probatur. Nam qui verba formæ proferret, nec exterius ablueret, falsitatem diceret, & ideo nullum efficeret Sacramentum, utpote cujus ad essentiam, validitatemque formæ veritas necessaria est, ideo autem non nisi falsò proferret, quia sive diceret, Ego te baptizo, sive Nos te baptizamus, sive more Græcorum, baptizetur servus Christi, semper his verbis significaret, se externæ ablucionis actum exercere, neque tamen exerceret. Et ideo hæc omnia docet doctus Meratius in D. Thom. tom. 3. tract. de Baptismo, disp. 5. sect. 3. & Hurtadus de Sacram. disp. 2. diff. 6. ubi citat Vasquez, Suarez, & Conink, quibus etiam adde Jacobum Granado in 3. part. de Sacram.

Sup. hoc in duabus præcedentibus Ref. & infra Ref. 70. §. ult. & in to. 3. tr. 1. Ref. 1. §. Secundo postet.